

pientis, ita privilegium propter opus futurum non solet ordinarie ipso facto dari, sed tantum promitti. Solum ergo interveniet differentia quod, quando opus præcedit sine promissione privilegii, non solum non acquiritur privilegium, verum etiam neque fit debitum: quando vero præcedit promissio sub conditione operis, oritur statim obligatio facto opere, et ita fit privilegium debitum; ad hoc autem etiam supponitur, moraliter loquendo, notitia promissionis. Et ita, quod attinet ad consecutionem privilegii, nulla est differentia.

23. *Privilegium dans jus non acquiritur ante acceptationem per se aut per alium; ante notitiam autem acquiritur per alium, non per se.—Usus privilegii requirit notitiam.—Privilegium a die concessionis quomodo fructuosum.—Unde etiam in universum declaratum relinquatur, privilegium dans jus et potestatem nunquam actu acquiri ante acceptationem, vel per se, vel per alium; ante notitiam vero posse acquiri per alium, licet non per se ipsum. Quia nemo per se acceptare potest nisi prævia notitia, et ideo nemo potest, dum ignorat privilegium, illud per se consequi, id est, per propriam acceptationem; potest autem per alium acceptare, et acquirere priusquam notitiam concessionis habeat, ut per se patet. Non poterit autem proprie uti privilegio ante notitiam ejus, quia usus proprius et legitimus requirit notitiam, ut per se constat. Si autem quis velit anticipare privilegii usum ante notitiam certam, propter spem privilegii, ordinarie non recte faciet, ut mox declarabo; et illemet usus non erit sine aliqua notitia probabili, quæ spem illam fundare possit. Nihilominus tamen poterit tale privilegium esse fructuosum a die concessionis, et ante plenam notitiam ejus, quoad illos effectus qui non requirunt formalem usum privilegii pro illo tempore, ut, si sit privilegium obtinendi, verbi gratia, decimas, poterunt recuperari a die concessionis, nisi aliud in ea declaretur, et, in privilegiis tollentibus onera, est hoc frequentius, ut jam explicabo.*

24. *Privilegium ablativum oneris quomodo operatur.—Dubium.—Venio ergo ad privilegium ablativum oneris, ut tollens inhabilitatem vel obligationem legis, in quibus distinguo illa quæ continent dispensationem legis, auferendo obligationem in conscientia, ab illis quæ auferunt onus temporale aut pœnale tantum. De prioribus ergo certum est, ordinarie non habere effectum ante acceptationem*

recipientis, quia, licet acceptatio non sit de essentia dispensationis, ut dixi, est nihilominus de decentia (ut sic dicam), quia non expedit principem relaxare jura, nisi ad supplicationem et instantiam indigentium, et ideo ordinario jure non aliter fit, præsertim per modum privilegii, quod est veluti permanens et continua dispensatio, et hoc fere omnes admittunt. Difficultas vero est an sufficiat acceptatio per nuntium vel instrumentum, vel requiratur propria et personalis acceptatio: cum quo dubio conjunctum est aliud, scilicet, an requiratur notitia propria privilegiati ad effectum talis dispensationis privilegiati, vel necessaria non sit, sed conferatur effectus absenti et ignorantibus, eo ipso quod per alium acceptatur. In quo Sylvest., supra, partem tenet affirmativam; et idem tenet Soto, et alii allegati in quarta opinione.

25. *Objectio. — Responsio. — Contrarium autem sentit Vasq. hic, disput. 156, num. 30 et 31, et videtur profecto valde credibile, si prudenter spectetur; quia imprimis privilegiatus non potest uti tali dispensatione, tuta conscientia, donec illius notitiam habeat; sed dispensatio est propter usum; ergo non est verisimile ita concedi ut habeat suum effectum antequam perveniat ad notitiam ejus cui conceditur. Major patet, quia honestas talis actus alias prohibiti pendet ex dispensatione valida et jam concessa; ergo qui non scit dispensationem valide et cum effectu esse jam concessam, non potest prudenter, et sine gravi peccato, exercere talem actum: quomodo enim quis prudenter operari potest id quod nondum scit sibi licere? Dices: sufficit moralis præsumptio et spes dispensationis, qualis habetur, quando, verbi gratia, per conjecturas constat jam nunc esse Romæ impetratam per procuratorem dispensationem. Respondeo omnino falsum id esse, et contra iudicium omnium prudentum: nam talis operandi modus est infinitis periculis expositus; nam conjecturæ illæ facile fallunt, et negotium quod brevi tempore expediendum creditur, per occasiones innumeras impeditur, vel differtur. Et confirmatur: nam lex (ut ita dicam) est in actuali possessione suæ obligationis: ergo non potest illa privari, donec constet derogatum illi esse per dispensationem, seu privilegium principis.*

26. *Objectio. — Responsio. — Probabilis est matrimonium non valere ex dispensatione ante notitiam privilegii. — Dices usum illum esse malum per accidens, et ratione periculi*

ex ignorantia provenientis; nam si concessa revera est dispensatio, actus de se jam non est malus, nec contra legem. Sed contra: nam hoc periculum et inordinatio sunt moraliter inseparabilia a tali usu: ergo non est verisimile voluisse principem concedere cum effectu dispensationem ante ejus notitiam; tum quia non est verisimile velle dare occasionem illius pravi usus; tum etiam (ut dicebam) quia dispensatio non datur nisi propter usum honestum, vel qui moraliter et regulariter possit esse honestus. Dices: etiam dispensatio hujusmodi sæpe datur ut actio possit esse valida; ergo quantum ad hoc tenebit dispensatio, ita ut si matrimonium fiat in virtute dispensationis sic præsumptæ, matrimonium sit validum a tempore quo factum est, si postea constet jam tunc fuisse dispensationem concessam, licet peccaminose contractum fuerit. Respondeo: si princeps non habet intentionem dispensandi in lege prohibente, ante notitiam suæ dispensationis, ut probat ratio facta, profecto multo minus habebit intentionem taliter dispensandi in lege irritante: nam cum eadem sit lex prohibens et irritans, non est verisimile dispensare statim in illa, ut irritans est, et non, ut est prohibens. Probabilis ergo videtur in illo casu, non fieri validum matrimonium ex vi talis dispensationis, priusquam ad notitiam contrahentium deveniat. Et fortasse ad vitanda hæc pericula (inter alias causas) non solent Pontifices has dispensationes statim concedere, sed committere ut in partibus fiant.

27. *Quid de privilegio exemptionis.—Prima sententia. — Secunda sententia.—Tandem dicendum superest de privilegio quod concedit immunitatem ab onere, seu exemptionem ab alterius jurisdictione, absque dispensatione in aliqua lege obligante in conscientia, de quo est specialis ratio dubitandi an requirat acceptationem, vel notitiam privilegiati; nam si tale privilegium, datum uni in favorem, resultet in præjudicium tertii, præjudicat tertio etiam ignorantibus; ergo multo magis valebit etiam privilegiato ignorantibus. Consequentia probatur, vel a paritate rationis, vel, a fortiori, quia magis ampliandus est favor quam præjudicium. Antecedens vero sumitur ex capite primo de Concess. præben., in 6, ubi privilegium alicui concessum, ut a suo Episcopo excommunicari non possit, dicitur habere effectum, etiam ignorante Episcopo, quia excommunicatio ab illo ignorante lata valida non est. Nihilominus de acceptatione ex parte Episcopi, seu tertii, clarum est non esse neces-*

sariam, quia illi nihil conceditur, sed potius ipse privatur aliquo jure per potestatem superiorem in favorem privilegiati, sive consentiat, sive non. De privilegiato autem statim dicitur. Igitur de notitia superest controversia; nam multi censent, licet ex parte privilegiati notitia privilegii sit necessaria, quia ille debet acquirere privilegium, illam non requiri in tertio qui illud damnum patitur, quia sequitur veluti per quamdam consecutionem. Ita Decius et Felinus, dicto capite 7, de Constitut., et Menoch., supra, qui alios referunt. At vero alii etiam in tertio requirunt notitiam, quia non videtur esse intentio principis privare aliquem jure suo, illo in scio, quia videtur valde consentaneum rationi ut illi detur locus proponendi vel supplicandi aliquid in suum favorem. Quod sentit Beroi. in c. 2 de Constit., n. 48; et, in exemplo adducto de exemptione a jurisdictione ordinarii quoad excommunicationem, idem supponit Richard. in 4, dist. 18, art. 5, quæst. 5; ait enim, si Episcopus non habeat notitiam exemptionis, nec per illum stat quominus illam habeat, validam esse excommunicationem, et consequenter privilegium non operari. Allegat cap. *Si duobus*, cum Glossa de Appellat., et facit etiam cap. *Cum personæ*, de Privileg., in 6, ubi, si iudici petenti ostensionem privilegii, alias non publici neque manifesti, a parte non ostendatur, excommunicatio ab eo lata dicitur esse valida; ergo supponitur necessarium esse ut privilegium innotescat iudici, ut privet illum jurisdictione sua.

28. *Tertia sententia.—Tertia sententia esse potest, notitiam privilegii non requiri nec in privilegiario, nec in iudice, seu tertio damnum passo. Prior pars sumitur ex Sylvest., verb. *Privilegium*, q. ult., et verb. *Renuntiatio*, q. 4, quatenus ait sufficere acceptationem per nuntium, ut privilegiarius incipiat frui privilegio ante aliam notitiam, et expresse ponit exemplum in exemptione a jurisdictione quoad excommunicationem. Altera vero pars sumitur ex eodem, verb. *Exemptio*, q. 8, ubi limitat sententiam Richardi, dicens: *Nisi in privilegio sit clausula irritans*, quam ipse Richard. non omisit; et si res attente expendatur, necessario includitur in privilegio exemptionis, si efficaciter concedatur. Unde formari potest ratio in hunc modum, quia hoc privilegium exemptionis est veluti reservatio quædam jurisdictionis; sed reservatio habet suum effectum eo ipso quod fit, etiamsi ad alterius notitiam non perveniat; ergo etiam*

illud privilegium non pendet in suo effectu a notitia Episcopi, et idem est cum proportione de quocumque alio tertio.

29. *Obiectio.*—*Responsio.* — Dices: hac ratione probaretur, ex parte privilegiati neque acceptationem requiri, quia reservatio casuum, verbi gratia, valida est et habet effectum, etiam non acceptante, vel repugnante subdito ejus casus reservantur; ergo similiter exemptio erit valida, motu proprio facta, etiam ignorante exempto. Respondeo non esse simile; nam reservatio casuum non habet rationem favoris, sed rigoris et odii, et non fit in favorem subditi proprie loquendo, sed potius cum onere ejus propter commune bonum, et ideo non spectatur consensus ejus. Quamvis, ut prudenti modo fiat reservatio, notificanda sit subdito, quantum est ex parte superioris, antequam habeat effectum, ut vitentur incommoda quæ alias sequi possent, quod sufficienter fit per publicam promulgationem, seu publicationem cum tempore sufficiente ut ad omnium notitiam deveniat, quia fertur per modum legis, aut generalis præcepti irritantis, quod non oportet singulorum auribus intimari, ut suum effectum habeat. Exemptio autem conceditur in favorem privilegiati, et ideo priusquam effectus acquiratur, debet ab eo acceptari, saltem per nuntium vel instrumentum; hæc autem acceptatio sufficiet sine alia notitia ejus. In ipso autem ordinario, a quo fit exemptio, ut privetur a jurisdictione in talem personam, neque notitia vel consensus ejus postulatur aut expectatur.

30. *Ultima sententia approbatur.*—*Utilitas privilegiæ ante acceptationem, ad revocanda contraria illi a tempore concessionis.* — Hæc ergo ultima sententia probanda videtur. Nam de priori parte (scilicet, quod in hoc privilegio ad valorem et effectum sufficiat acceptatio in absentia per tertium) videtur esse eadem ratio quæ de aliis privilegiis positivis seu concedentibus aliquam potestatem, imo major, quatenus facilius est eximere vel tollere onus, quam dare aliquid de novo: et alioqui cessat in hoc genere privilegiorum moralis occasio abusus cum periculo violandi aliquam legem, quia per hæc privilegia non conceditur dispensatio in aliqua lege, sed tantum intenditur ablatio jurisdictionis in uno, per quam resultat exemptio in alio. Et licet verum sit necessariam esse notitiam sufficientem in privilegiato, ut possit licite uti sua exemptione, non parendo alteri, vel contemnendo censuram ejus; nihilominus non est morale periculum abusus concess-

sionis privilegii, etiamsi sit valida ex vi acceptationis tertii; potest autem esse valde utilis ad revocanda omnia contra privilegium facta a tempore concessionis. Sicut si Papa concedat absenti collectionem et utilitatem alicujus partis decimarum, et per procuratorem privilegium acceptet, licet non possit exigere decimas, nec privilegio uti ante notitiam ejus, nihilominus post notitiam habitam poterit exigere omnia a tempore concessionis ex tunc factæ, si de mente Pontificis satis constet. Altera vero pars, quod, scilicet, in iudice vel tertio non requiratur notitia, videtur ita expressa in dict. cap. 1 de Concess. præbend., ut negari non possit. Eam tamen intelligendam puto, quando iudex non petiit ostensionem privilegii, et sufficiens tempus elapsum est in quo posset illius notitiam consequi, et per illum stetit vel casu accidit ut non haberet, et sic cessant conjecturæ et jura quæ in contrarium afferebantur.

## CAPUT XXVI.

AN UBIQUE POSSIT QUIS LICITE SUO PRIVILEGIO UTI, ET PRÆSENTIM EXTRA TERRITORIUM CONCEDENTIS.

1. *De circumstantia loci in privilegiis.* — *Duplex sensus questionis.*—*Pontifex concedit privilegium pro omni loco.* — Diximus de circumstantia temporis; dicendum sequitur de circumstantia loci, quæ in legum observatione maxime necessaria est. Potest autem locus dupliciter ad privilegium seu ad illius usum comparari. Primo, ex parte objecti, seu actus concessi per privilegium; secundo, ex parte personarum, vel concedentis, vel cui conceditur privilegium; et ita duplex esse potest sensus questionis. Prior est an, privilegio concessio pro uno loco, liceat in quolibet alio; alter est, an privilegiarius possit licite uti privilegio, sibi absolute concessio, extra territorium sui superioris concedentis privilegium. Et quidem quæstio, in priori sensu, in solo Pontifice et privilegiis ejus videtur habere locum, quia solus ille habet ubique jurisdictionem; et ideo solus ille potest per se, et ex parte objecti, ut sic dicam, concedere privilegium pro omni loco; potest tamen cum proportione quæstio tractari, et resolutio ejus accommodari ad Prælatos inferiores pro suis diocesisibus, et ad reges pro suis regnis, sumendo particulam *ubique*, cum proportione intra terminos uniuscujusque principatus. In

posteriore autem sensu quæstio non habet locum in privilegiis pontificiis, sed in aliis, quia Pontifex non habet limitatum territorium, sed totum orbem complectitur, ut Pontifex est. Potest tamen illi aliquo modo accommodari, et ideo priorem quæstionem resolvemus directe circa Pontificem, et per accommodationem de aliis; in posteriori vero contrarium ordinem tenebimus.

2. *Privilegium a Pontifice concessum ubique valet, si absolute concedatur.* — Circa priorem ergo quæstionem, dicendum est privilegium a Pontifice concessum simpliciter, et sine determinatione ad certum locum, ubique valere, et licitum esse ubique illo uti, nisi aliud constet de mente concedentis. Probatur assertio cum suis limitationibus. Quia concessio indefinita, procedens ab habente universalem potestatem, universalis est, si ab ipso concedente non limitetur, vel determinetur ad aliquid particulare; sed potestas Pontificis universalis est ad concedendum privilegium pro omni loco; ergo, si absolute concedit, et non limitat locum expresse nec ex circumstantiis, tale privilegium universale est ex parte locorum. Minor cum consequentia notæ sunt. Major autem est quasi axioma, et receptum principium juristarum, quod in legibus indefinita locutio æquivalet universali; tum quia est quasi doctrinalis, tum maxime quia alias esset ambigua et incerta, ac subinde inutilis, quia non esset major ratio determinandi dispositionem legis ad hoc particulare quam ad aliud, ut manifeste constat in præsentibus; cur enim tale privilegium, indefinite loquens de locis, vel nullam mentionem de loco faciens, magis determinabitur ad hunc locum quam ad alium? Hinc enim etiam manavit vulgare pronuntiatum, quod ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, utique sine alia lege limitante, vel sine cogente ratione, utique quia indistincta locutio legis de se universalis est. Denique hac ratione privilegium concessum sine limitatione temporis censetur perpetuum, ut supra vidimus.

3. *Privilegium pro certo loco concessum pro illo solum valet.* — *Determinatio loci ex parte objecti et ex parte subjecti notanda.* — Prima vero limitatio, seu conditio, de se manifesta est: nam tenor privilegii servandus est; ergo si privilegium ex parte materiæ et objecti ponit determinatum locum, pro illo solo potest valere, sicut ponens determinatum tempus pro illo tantum valet, et loquens in materia determinata circa illam tantum dat potesta-

tem. Et hac ratione, si Pontifex concedat privilegium ad habendas duas præbendas in tali Ecclesia, non poterit quis, virtute talis privilegii, habere duas similes in alia Ecclesia. Item, si alicui daretur privilegium ad audientias Missas in suo episcopatu tempore interdicti, non posset illam audire in alio episcopatu interdicto. Sic privilegium Papæ ad concedenda lacticinia et ova diebus prohibitis in Hispania, non extenditur ad Italiam, vel Galliam, et sic de aliis. Sicut enim privilegium locale non extenditur ab uno loco ad alium, nec personale ab una persona ad aliam, ita nec privilegium personæ datum pro certo loco, potest illi valere ad utendum eo in alio loco, quia tale privilegium est veluti locale simul et personale respective; quia sicut non conceditur nisi pro tali persona, ita nec conceditur illi, nisi pro tali loco. Oportet autem diligenter advertere an determinatio loci ponatur ex parte objecti, vel ex parte subjecti; aliud est enim privilegium concedi tantum pro hominibus Hispaniæ, aliud vero concedi pro usu Hispaniæ, seu in Hispania; et in priori sensu non arctatur privilegii usus ad Hispaniam, sed solum ad Hispanos, qui ubique poterunt illo uti, nisi aliud obstat; quia, cum sit privilegium personale, cum persona incedit, et quia, cum determinatio loci non cadat in usum, quia non ponitur ex parte objecti, universalis est ex parte locorum juxta regulam positam. Dico autem *nisi aliud obstat*, propter limitationem sequentem.

4. *Mens concedentis etiam limitat privilegium.* — *Regula ad mentem concedentis indaganda.* — *Bulla Cruciate quomodo dat Hispanis licentiam comedendi lacticinia.* — Secunda limitatio etiam vera est, quia privilegium non habet efficaciam, nisi ex mente et intentione concedentis; ergo si mens illius est non concedere usum privilegii, nisi pro certo loco, non est licitum illo uti extra talem locum. Item, si hæc limitatio esset expressa per verba superioris, non liceret aliter privilegio uti, juxta priorem limitationem; ergo idem est, quacumque alia ratione constet de mente concedentis, quia mens conjecturata non minus efficax est quam expressa, quando conjectura moraliter sufficiens est. Est autem hæc limitatio cognitu difficilior quam prior, quia non continetur in ipsis formalibus verbis concessionis, sicut prior, et ideo necessarium est hic uti regulis generalibus in sequentibus capitulis tradendis de interpretatione privilegiorum, et illas cum proportione ad locum